Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 639
Quelle:
Copyright:

abrumpitur in verbis: *utpote funambuli;* et continuo

XIX. *Incipit de VII. miraculis mundi.* Non historicis illis notis, sed physicis in contemplatione τȣ Μεγαλοσμȣ occurrentibus, puta verbis nostri: Maris Oceani Commutatione, Granis frugum et fructibus arborum, Phoenice ave, Monte Aetna, Fontibus Gratianopolitanis, *de quibus simul et latex manat et ignis*, Sole mundo famulante, et praestituto Lunae, Siderumque motu.

XX. *fol.* 57. *Incipit liber primus coniunctionum siue declinationum grammaticalium. Eutychis* Opusculum est productum a *Putschio col.* 2143. Prooemium ad *Craterum*, in quo legitur *diligentissime Discipulorum* pro *dilectissime*, orditur: *Cum semper nouas quaestiones doctoribus* &c. Clausula: *Explicit feliciter ars eutycii grammatici.* Adhaerent Excerpta de Prosodia.

XXI. *fol.* 70. p. 2. Continuatur *Q. Fam. Rhemn. Palaemonis* Carmen *de Ponderibus* &c. coeptum N. XIII. et non continuatur modo, sed ultra, quam *Eliae Vineto*, aliisque Editoribus videre contigit, producitur. Cum igitur maxima ejus pars jam typis extet, habeant hic Eruditi a me reliquum. Abrumpit *Burmannus supracit.* p. 407. *Nec non et sine aquis* —. Pergo ego:

Eadem deprendere furtum
Ars docuit, quod tu mecum experiare, licebit.
Ex auro fingis (fingas?) *librili pondere formam,*
Parque ex argento moles fiet. Ergo duobus (duabus?)
Dispar erit pondus paribus, quia densior auro est.
Primo hanc ad lancem rediges, pondusque requires
(Argenti nam jam notum est, quia diximus) auro.
Facque id (hoc, vel Fac et id?) *argento gravius sextante repertum.*
Tunc auro, cujus vitium furtumque requires,
Finge parem argenti formam, pondusque notato,
Altera quo praestat, leviorque est altera moles.
Sit semissis onus. Potes ex hoc dicere, quantum
Argenti fulvo mixtum celetur in auro.
Nam quia semissem triplum sextantis habemus,
Tres inerunt auri librae, quodque amplius hoc est,
Quantumcumque fiet, fraus id permiscuit auro.
Causa, (id?) *cur ita sit, prompta est, si discere uerum*
Non pigeat, Veterumque animos intendere chartis.
Nam si disparibus numeris accesserit idem,
Servat inaequales itidem, tantumque manebit
Discrimen, quantum fuerit prius, idque notabis,
Sive in temporibus quaeras, seu pondera rerum,
Seu moles spectare velis, spatiumque locorum.

Quare